



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Connimbricensi Academia
Sacrarum Litterarum primarii Professoris Opvs, De Virtute
Et Statu Religionis**

Qvo Quid Contineatur, Index proximus indicabit

De Obligationibus Religiosorum ex Regula, Prælatione & subiectione
regulari prouenientibus, De varietate Religionum tam in genere, quàm in
specie, De Religione Societatis Iesv in particulari

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1626

Liber Septimus. De Professis trium votorum, & Coadiutoribus formatis
Societatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93501](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93501)



LIBER SEPTIMVS.

De Professis trium votorum, & Coadiutoribus formatis Societatis.

*Introdutio
ad sequentē
lib. 7.*



Onstat ex Bullis, & constitutionibus Societatis, quas infra cap. 1. referemus, præter professos quatuor votorum, esse alios presbyteros religiosos, qui ad ipsos professos in spiritualibus ministeriis iuandos in Societate recipiuntur, eique alio genere professionis, vel vnionis incorporantur, & in ultimo quodam gradu religioso constituuntur, quos professos trium votorum, aut coadiutores spirituales formatos appellamus. De his ergo nunc commodè sermo incidit, quia cum professis in ministeriis, & in vitæ genere conueniunt, præterquam in modo votorū, quæ emittunt, & consequenter in conditionibus, quas requirunt: quam differentiam hic explicare eiusque rationem reddere necesse est, simulque quidquid his gradibus, proprium ac speciale fuerit declarabimus.

CAPVT I.

Cur in Societate aliqui admittantur ad professionem trium tantum votorum, & ad quem finem destinantur.

*I. Ratio dubi-
zandi bipar-
tis.*

Hæc graduum differentia difficilis multis visa est, quia potest esse occasio dissensionum, & emulationum, in Religione, & alioqui nulla eius sufficiens ratio apparet, quantum ad præsens attinet. Primum per se videtur clarum, quia illa differentia constituit inæqualitatem in gradibus, ac proinde rari esse possunt, qui inferiori gradu sint contenti, & inde oriuntur perturbationes animorum, iudicia varia, ac sinistra de superioribus, quod potius affectione, aut falsa informatione, accipiant personas, quam iuste eligant, ac distribuunt, & similia incommoda sequuntur. Secundum declaratur, quia hi omnes, qui ad professionem trium votorum admittuntur, reputantur iam sufficienter probati, & post diuturnas experientias digni inuēti, qui in Societate perpetuò retineantur, & in eius ministeriis spiritualibus occupentur, cur ergo ad æqualem professionem cum aliis non admittuntur. Confirmatur, nam hi professi emittunt omnia alia vota solennia, & simplicia, quæ alij professi emittunt, ut in fine proximi libri attigimus, & cum omnibus conditionibus, ac solemnitatibus, quæ in illis cogitari possunt: cur ergo ad quartum votum obedientiæ ad Pontificem circa missiones, non admittuntur? Certe materia illius voti commodissimè in illis locum habere potest, & ipsi satis capaces esse debent talis obligationis: nam si digni sunt ut perpetuò, ac immutabiliter, Societati incorporentur, ad spiritualia ministeria obeunda, ubique terrarum poterunt illa exercere; ergo poterunt mitti à Pontifice, ad illa exercenda, ergo sunt capaces obligationis voti specialis ad has missiones: cur ergo ad illud e-

mittendum, non admittuntur? Nec enim fingi potest corporalis debilitas, nam hæc accidentaria est, & in omnibus professis inueniri potest, & illa non obstat, quominus persona, quantum in se est, obligetur simpliciter, vsus vero postea sit iuxta vniuersi cuiusque vires. Nec etiam spirituale impedimentum allegari potest: quia si nullum est in talibus personis, quod professionem solennem impediat, certe neque ad hanc obligationem impediendam videtur posse reperiri.

Duobus modis in præsentem potest accipi nomen professionis trium votorum, primo generatim, pro vnione per tria vota, siue simplicia, siue solennia: alio relictum modo specialiter pro solenni professione, atque hoc posteriori modo hic sumitur, & de illo procedunt rationes dubitandi, nam de alio modo incorporationis per vota simplicia dicemus cap. seq. & ita erit satisfactum generali quæstioni. Quamuis autem hoc ita sit: nihilominus ad respondendum vtrique quæstioni in particulari, necesse est generatim præterire: iuxta Societatis institutum opportunum fuisse, & valde expediens aliquos sacerdotes per tria tantum vota Societati incorporari, ut in eo gradu, ac statu perpetuò maneant. Hoc in primis suadet auctoritate Pontificum, qui hoc genus institutionis approbaverunt. Paulus III. in Bulla 4. anni 1546. Exponebat nobis, quam ad hoc directè concessit, ut approbaretur receptio spiritualium coadiutorum in Societate, sub quibus nos nunc cōprehendimus omnes sacerdotes, qui ad spiritualia ministeria destinantur, & solum per tria vota incorporantur: quæ acceptio nō est aliena ab ipsis constitutionibus Societatis. Nam in Examine, cap. 1 §. 8. q. 10. & 11. numeratur varij gradus Societatis: Professorum quatuor votorum, coadiutorum, formatorum, Scholarium, & Novitiorum, seu indifferendum, ubi de professis trium votorum non fit mentio, sed sub coadiutoribus spiritualibus comprehenduntur. Idem institutum quoad hanc partem, probant Iulius III. & Gregorius XIII. latius, ut infra capite sequenti videbimus. Secundò in eadem Bulla Pauli III. allegatur experientia sex annorum: nam cum anno salutis 1540. Societas approbata esset ab eodem Paulo, nulla mentione facta horum cooperatorum, per sex annos sequentes intellexerunt nostri patres, experientia eos docente, indigere Societatem ope, & adiutorio illorum, & ideo novam approbationem huius impetrarunt.

Tertiò, declaratur ratio, quia iuxta B. P. Ignatij mentem, & institutum, in professis quatuor votorum Societatis multa dona postulantur, non solum gratiæ, virtutis, ac spiritus, sed etiam doctrinæ sacræ, ac philosophiæ, omnisque eruditionis necessariæ ad docendum, concionandum, explicandum, res fidei, easque ab eius hostibus defendendum, & ad res morales, casusque in eis occurrentes expediendum: huiusmodi autem dotes nō possunt in omnibus, non in multis reperiri, ideoque ad sustinenda omnia onera Societatis, etiam in spiritualibus ministeriis, non sufficiunt illi soli, qui his omnibus dotibus perfecti sunt, aut plusquam mediocriter instru-

Instructi, ergo necessarii sunt Societati alij sacerdotes religioni, & probi; qui, licet in ceteris donis minus sint perspicui, ad iuuandam Societatem in spiritualibus ministeriis, vel in aliquibus, etiam temporalibus, quæ per sacerdotes decentius fiant, sufficiant: scilicet, in domibus professis in audiendis confessionibus, vel externorum, vel etiam nostrorum, in visitandis infirmis, & incarceratis, & aliis operibus misericordiae exercendis, vel etiam in officio ministri, Procuratoris, domus, Collegij, aut prouinciae: praeterea in collegiis iuuare possunt, vel in eorum gubernatione, munere etiam Rectoris fungendo, vel in literis humanioribus, aut liberalibus artibus docendis, & elaborandis, vel in audiendis confessionibus nostrorum scholarum, & cura gerenda spiritualis profectus illorum. Denique in domibus probationis fungi possunt officio Rectoris, aut magistri nouitiorum, vel in aliis supra dictis ministeriis iuuare: ergo recte institutum est, ut huiusmodi personae in Societate recipiantur, & per tria vota incorporarentur. Confirmatur & declaratur hæc ratio: nam multi sunt apti ad aliqua Societatis ministeria, qui non sunt ita idonei, ut se ad missiones Pontificias absolute deuocuant: nec ut ab ipsa Societate ad illas exponantur: ergo hi merito incorporantur sine illo quarto voto, atque adeo per tria vota, vel aliter multi sunt, qui licet mitti possint, non certe tanquam capita missionum (ut sic dicam) sed ut socij præcipuorum ministeriorum: ergo satis est ut illi, qui per se sunt idonei ut principaliter mittantur, speciali voto se consecrent ad illud munus: aliis vero satis est, ut generali voto obedientiae, cum aliis substantialibus religionis adstringantur.

IV.

Hinc quartò possumus hoc institutionis genus antiquis exemplis confirmare, nam Christus Dominus missurus prædicationem in mundum, paucos elegit, qui essent præcipua capita illius ministerij, deinde, adiunxit plures alios, qui essent illorum cooperatores. Ita prius vocauit duodecim Apostolos; postea illis septuaginta discipulos adiunxit, ut notauit Anacletus Papa, epist. ad omnes Episcopos, cap. 18. seu, ut scribit Zepherinus epist. 1. præcepit Apostolis ut 72. discipulos in adiumentum eligerent; ex actibus etiam Apostolorum, Epistolis Pauli, & Ecclesiasticis historiis constat, cum Apostolis semper incesse aliquos, qui erant socij, & quasi coadiutores eorum. Sic de Timotheo ait Paulus ad Philipp. 2. Spero in Domino Iesu Timotheum me cito mittere ad vos, ut ego bono animo sim, cognitis, quæ circa vos sunt. Et infra, Experimentum autem eius cognoscitis: quia sicut patri filius, sic mihi seruauit in Euangelio. Et infra, Epaphroditum vocat fratrem, & cooperatorem & commilitonem meum, & cap. 4. Adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio cum Clemente, & ceteris adiutoribus meis, &c. Sic etiam 2. Corinth. 8. de Luca ait, Ordinatus est ab Ecclesia comes peregrinationis nostræ, & idem ibi, & cap. 7. de Tito significat. Marcus etiam ab Hieronymo comes, & coadiutor Petri interdum appellatur. Et eodem modo coadiutorem Petri Clementem vocant, Ioannes III. Pontifex in epist. ad Episcopos Germaniæ, & Leo II. in quadam epistola, & similia multa in historiis reperiuntur. Eratque hæc distinctio necessaria, quia nec Apostoli per sese poterant omnia perficere, nec inuicem sociati poterant semper incedere, nec solos peregrinari decebat, aut expediebat: indigebant ergo suis adiutoribus & sociis, quos oportebat aliquo modo esse in illo ministerio inæquales, ac eis subordinatos, ut commodius possent omnia ordinatè fieri. Ita ergo Societas quoniam Apostolorum munus, quo ad discurrendum per orbem, ad prædicandum Euangelium, participat, quosdam ha-

bet, quibus ex vi suæ professionis hoc ministerium principaliter conueniat, quos proinde speciali voto ad hoc obligare conueniens fuit; aliis verò indiget, qui solum sint, veluti socij, & coadiutores aliorum, siue in missionibus ipsis, siue in domibus, vel collegiis, eis cooperando: quos nec necesse fuit illo speciali voto obligari; nec etiam expediens propter priores rationes, num. 3. factas, & ut hæc aliqualis differentia vnumquemque sui muneris admoneret, & gradum suum tenere, obligationemque adimplere suaderet.

Hoc ergo generatim supposito, facile suaderi potest, meritò institui potuisse, ut aliqui ex his sacerdotibus, qui quartum votum non emittunt, nihilominus ad solennem professionem trium votorum admittantur. Primò quidem, quia, ut cap. sequenti videbimus, potius difficile est rationem reddere cur non omnes hi sacerdotes per solennem professionem incorporentur si illa digni inueniantur. Secundò, quia nonnulli esse possunt, quos vel necesse non est, vel non expedit quartum emittere votum, quia non habent omnes dotes ad illud ministerium necessarias, & tamen dignissimi sunt, qui ad solennem professionem recipiantur, vel propter singularem vitæ sanctitatem, vel quia propter insignia facta aut opera specialiter sunt de Societate benè meriti. Interdum etiam potest expedire aliquos recipi ad hoc genus professionis, ut sit in Societate modus dissoluendi matrimonium ratum, non emittendo professionem quatuor votorum, & ut vinculum hoc cum Societate sit vtrinq; absolute perpetuum, quod sæpe propter extrinsecas rationes necessarium est, ut intelligi potest ex cap. 1. præcedentis libri.

Vnde intelligitur modum hunc professionis trium votorum, non esse veluti per se, ac principaliter in Societate intentum, nec gradum hunc esse (ut sic dicam) diuersum à gradu spiritualium coadiutorum; sed in eo esse quasi specialem exceptionem, ad subueniendum specialibus occasionibus, & causis, quæ occurrere possunt, ut proximè citauimus ex libro præcedenti. Per se enim institutum Societatis postulat ut omnes professi eius votum obedientiæ speciale Pontifici offerant; tamen quia materia huius voti non habet locum in omnibus operariis, quibus Societas indiget, ut num. 3. ostensum est, aliquos coadiutorum ad professionem recipit per se quidem non ad professionem, sed ad alium gradum, de quo statim dicitur in cap. sequenti, tamen ob speciales causas occurrentes, ut tactum est, expedire potest, ut aliqui ex his solennem professionem emittant, & ideo quasi per dispensationem, vel exceptionem hoc admissum est, & probatum in Bullis Pauli III. & Iulij III. & Gregorij XIII.

Vnde etiam fit ut ad hanc professionem multi in Societate requirantur. Postulatur enim, ut saltem per septennium aliqui in Societate vixerit, sicut in præcedenti libro cap. 1. num. 8. indicabamus, & post diuturnam probationem sui talenti, & vitæ religiosæ non mediocrem satisfactionem Societati præbuerit, ac denique ut peculiares causæ non parui momenti concurrant, ut habetur 1. p. constit. cap. 2. § 3. vbi declaratio lit. C. postquam partes ad hanc professionem requisitas exposuit, ita concludit, Et hi plurimum homines erunt qui propterea, quod bene meriti sint, & valde deuoti, quantum minori doctrina, & concionandi aptitudine præditi, quam nostrum institutum in professis requirat, admittendi esse in Domino videbuntur. Per hanc enim professionem imprimis admittitur quis ad perpetuam Societatis coniunctionem, & ad ministeria spiritualia eius. Deinde se obligat illi Societati speciali modo, & absolute, nulla

Ccc 4

que

V.

1. Affertur votum solennitatis mariti instituta.

VI.

1. Coroll. dicitur, vota non constituunt gradum peculiarium in Societate.

VII.

2. Coroll. dicitur, requiritur ad hoc votum.

que subintellecta conditione, illum acceptat. Atque ex priori capite requiruntur in tali persona ad minimum, illa omnia dona, quæ in coadiutoribus formatis necessaria sunt: ex posteriori verò requiruntur aliquis excessus vel in speciali ostensione sanctitatis, vel in obsequiis spiritualibus, Deo, Ecclesiæ, vel Societati exhibitis, vel in aliqua alia causa, quæ ex parte Societatis illud genus gratitudinis postulare videatur.

Ministeria horum professorum.

VIII. Nihilominus tamen hi professi trium votorum ordinatio iure non possunt esse in Societate Provinciali, nec præpositi domorum professorum, iuxta constitutiones eius part. 8. cap. 3. & lit. A. vt declaratur in 3. Congregatione generali can. 13. estque hoc consentaneum iuri, & rationi. Nam prælatus religionis debet esse expressè professus in eadem religione, & consequenter cum debita proportionem ad eos quibus præficitur: ergo esse debet intra eandem religionem, vel in superiori gradu cum illis, vel saltem in aequali professionis gradu: sed præpositus domus professæ per se præficitur professis quatuor votorum, & provincialis, tum illis, tum ceteris omnibus; ergo meritò in eis postulat perfectissimum gradum professionis, qui in hac religione esse potest. Et ob eandem rationem in Collegiis, & domibus probationis, possunt hi professi esse superiores, quia sunt in altiori gradu, quàm subditi quibus per se loquendo præfunt. Cùm ergo in collegiis, & coadiutores formati, & scholares etiam approbati Sacerdotes, possint esse Rectores, quia habent professionem accommodatam statui talium conuentuum, multo magis poterunt hi professi, qui sunt in superiori gradu. Nec oberit, quòd in his collegiis possunt esse multi professi quatuor votorum, nam illud est accidentarium, & hoc modo non est incòueniens, vt professi subsint etiam non professis, sicut in dict. can. 13. Congregationis 3. declaratum est, sicut etiam subsunt Ministro domus professæ, etiam si professus non sit, quia non est proprius Prælati, sed locum eius quodammodo gerit.

Præterea non possunt hi professi trium votorum habere suffragium actiuum, vel passiuum in electione Præpositi generalis. ita habetur 8. part. constitutionum c. 3. & 6. lit. B. & de passiuo quidem, à fortiori constat ex dictis: nam si Provinciales aut Præpositi esse non debent, multo minus Generales. De actiuo autem, inter alias, ratio esse potest, quia electio generalis in Societate est res maximi momenti, & ideo solis illis, qui in ea sunt præcipui, quia maiora Dei dona habere supponuntur, commissæ est. Item quia electio hæc pertinet ad ius ordinariu Societatis professæ, & ideo ad eos tantum pertinet, qui propriam Societatis professionem, & iure ordinario emittunt, huiusmodi autem sunt soli professi quatuor votorum, nam alij & sunt quasi ex dispensatione, & quodammodo non emittunt propriam Societatis professionem: imò hinc etiam est, vt Absistentes generalis ordinariè esse non debeant, ita enim intelligitur, quod dicitur 9. part. const. c. 5. lit. A. vt Absistentes professi sint, si commode fieri poterit. Ita enim tacitè exponitur in formula congregationis Generalis cap. 3. vbi absolute ordinatur vt Absistentes eligantur ex professis quatuor votorum. Denique neque ex vi suæ professionis ad congregationem Provinciale vocandi necessariò sunt, nec in ea eligi debent, vt procuratores pro tota Provincia Romæ ad triennalem congregationem proficiscantur, vt ex formula congregationis Provincialis cap. 3. colligitur, vbi solum professi quatuor votorum dicuntur necessariò vocandi ad talem congregationem, ex vi professionis; nam ex

vi muneris, etiam vocantur Rectores, Procurator Provincie, &c. Similiter in cap. 5. statuitur, vt eligendus in Procuratorem, sit ex professis quatuor votorum; idemque habetur in formula congregationis Procuratorum §. 1. & in 2. congregatione Generali can. 29. Hæc enim omnia ad principale regimen totius Societatis pertinere iudicantur, & ideo solis professis quatuor votorum committuntur.

C A P V T II.

De Coadiutoribus spiritualibus Societatis.

Superiori capite ostensum est, aliquos in nostra Societate recipi, vt profectos in spiritualibus ministeriis adiuvant, quauis in aequali gradu cum eis in Societate non constituentur; hi ergo spiritualiter coadiutores appellatur, qui proinde specialem in Societate gradum constituunt, vt constat ex examine cap. 1. §. 9. & toto cap. 6. & 2. p. const. c. 1. lit. A. & 5. p. const. c. 1. lit. A. & c. 4. & in Bullis Apostolicis Pauli III. & Iulij III. & Gregorij XIII. Ex quibus locis etiam constat, hos coadiutores incorporari vltimatè Societati per tria tantum vota simplicia; ita enim expressè declaratur in ipso instituto locis citatis, & alijs, & expressè approbatur ab illis Pontificibus, præsertim à Gregorio XIII. Ratio autem ob quam hi religiosi tria tantum vota emittunt, & non quartum, ex capite præcedenti num. 2. & 3. petenda est, nam eadem in illis est, quæ in professis trium votorum, vt ibidem diximus. Hic ergo solum superest, vt dicamus cur hæc vota simplicia tantum sint; in quo duo peti possunt: primum est quid in ipsa desit his votis quominus solennia sint? Secundum est, quæ ratio mouerit B. Ignatium ob quam voluerit in hoc gradu nunquam admitti ad vota solennia, quibus possumus addere tertium, scilicet, quid necesse fuerit hunc gradum distinguere à gradu scholarius, aut in quo distingui possit, cum omnium vota simplicia tantum sint.

Dubium primum quid desit votis coadiutorum spiritualium formatorum quominus solennia sint.

De primo dubio, multa essent à nobis tractanda, nisi ex dictis supra in tomo 3. de solennitate voti essent perspicua: Tota ergo ratio dubitandi est, quia hæc vota reddunt personas in habiles ad matrimonium, & incapaces dominij omnium bonorum, tam retinendi, quàm acquirendi, & plenè subiciunt voluntatem propriam alienæ, cum totali sui traditione, quid ergo illis deest, quominus solennia sint? Dicere enim quòd ex intentione, vt simplicia, & non vt solennia, non satisfacit, quia, vel est repugnantia in illa intentione, quomodo enim potest quis velle emittere votum, quod habet omnes effectus voti solennis, & nolle emittere votum solenne? vel certè aliquid assignare oportet, præter intentionem, quod hic desit ad voti solennitatem.

Dicendum verò nihilominus est; hæc vota tantum esse simplicia, quod satis probant testimonia Pontificum: quia, vt tomo præcedenti ostensum est, solennitas voti pendet ex approbatione, & institutione Ecclesiæ, Ecclesia autem non approbat hæc vota vt solennia, sed tantum vt simplicia: ergo hæc ratio ostendit saltem ita esse: quauis non declararet cur ita sit, vel quomodo potuerit Ecclesia approbare vota, quo ad illos effectus in ratione dubitandi positos, & non facere illa solennia: de cuncto idem probat replica facta de intentione, quia effectus agentium non excedit intentionem eorum, sed

VIII.
Non professi
ciuntur ex
dinario totius
provincie,
aut domus
professæ.

Præfati tam
possunt colle
gim, & No
miciatui.

Instantia oc
curritur.

IX.
Non habent
votum in e
lect. Genera
lis passiuum,
vel actiuum.

Non crean
tur in affi
scentes Ge
neralis.

Nec votan
tur ad con
greg. provin
cialem, aut
liguntur bi
procurato
res.

sed nec ex intentione vouentium, nec ex intentione Societatis admittentis; hæc vota sunt solennia, sed tantum simplicia: ergo propria verò ratio est; quia hæc vota non sunt ut absolute perpetua, sed solum ex parte vouentium; ex parte autem Societatis habent subintellectam illam conditionem, ut durent quandiu Societas hos religiosos retinendos iudicauerit. Vnde etiam fit ut in traditione, quæ per hæc vota fit, non sit mutua obligatio eiusdem rationis in utroque extremo; nam ex parte religiosi est absoluta viuendi perpetuò in Societate, quantum in ipso est; ex parte autem religionis, non est ita absoluta, sed retinendo libertatem ad dimittendam liberam personam, in aliquo raro casu, & ex grauissimis causis. Quod enim hæc vota hoc modo, & sub his conditionibus fiant, satis expresse declaratur in instituto Societatis. Primum in examine cap. 1. §. 9. ubi hæc vota vocantur simplicia, cap. autem 6. diserte declaratur, ex parte ipsorum coadiutorum ligari ad semper viuendum, & moriendum in Societate, & nihilominus Societatem, vel eius superiorem, qui commune bonum debet intueri, cum expedire iudicauerit posse eos dimittere, & a sua congregatione separare, & tunc illos omnino liberos, nullique voto obstrictos remanere. Et in declaratione additur, id fieri non posse sine causis iustissimis. Idem repetitur 2. p. constit. cap. 1. lit. A. cap. 4. §. 3. & part. 3. cap. 4. lit. B. & in Bullis Pontificiis citatis expresse approbatur, & confirmatur. Vnde constat contractum esse iustum, & sanctum; in quo eadem est ratio, quæ de scholaribus supra lib. 3. cap. 2. à num. 2. tractata est. Quod verò hic modus traditionis, & votorum re pugnet solennitati votorum, in toto superiori à nobis ostensum est. Votum enim solenne debet esse immutabile, vel omnino, vel ad summum per solam dispensationem raram, & grauissimam: hæc autem vota non habent tantam immutabilitatem. Ex alio item effectu, manifestari potest, quia vota horum coadiutorum non habent vim dirimendi præcedens matrimonium ratum, qui effectus inseparabilis est à professione solennium votorum: ergo maior probanda est, eodem modo quo de votis scholarium lib. 4. cap. 2. id ostendimus: est enim eadem ratio in utroque, ut consideranti facile patebit: & ex his rationi dubitandi in contrarium adducta satisfactum est.

Dubium secundum, cur dicti coadiutores spirituales ad professionem solennem non admittantur.

IV. Circa secundum dubium in fine num. 1. propositum, maior videtur esse dubitandi ratio; nam hi coadiutores formati supponuntur in primis esse homines apti ad ministeria Societatis spiritualia, & si non ad omnia & maiora, saltem ad multa, & satis graua, & quidem maiora, quàm sit sola chori assistentia, propter quam solum in aliis religionibus multi religiosi recipiuntur, & solennem professionem emittunt. Deinde supponuntur esse homines probate virtutis, & suæ religioni satis fideles, & digni qui post sufficientem probationem ad vitam in Societate perpetuò agendam admittantur. Denique tantum de eis ficit Societas, ut quando aliis non obierit, eos velit esse Rectores Collegiorum 4. part. constit. cap. 10. & ad Congregationem generalem, si opus fuerit, saltem pro negotiis tractandis eos admittat 8. part. constit. cap. 3. lit. A. & cap. 6. lit. B. & in 4. Congregatione generali can. 16. Cur ergo ad professionem solennem non admittantur? Accedit quòd hæc tanta graduum varietas in vno corpore Societatis, potest esse occasio diuisionis, aut scandali, vel minoris y-

nionis; non erat ergo multiplicanda sine vrgenti necessitate, quæ in hoc speciali gradu nulla apparet.

Atque eò maximè superflua apparet hæc varietas, quòd vota substantialia horum coadiutorum quo ad materiam eadem omnino sunt, & eodem modo fiunt, quo vota professorum: nam & in voto obedientiæ, eodem modo explicant specialiter eam promittere circa puerorum educationem 5. part. constit. cap. 3. §. 3. & 5. & in 2. Congregatione generali can. 20. & per votum paupertatis eodem modo profitentur se nihil habere nec in particulari, nec in communi, ac denique eodem modo publice, & in manibus Prælati vota sua emittunt; cur ergo non etiam ex parte Societatis ut solennia admittantur? Vbi etiam queri potest, cur hi coadiutores alia vota simplicia professorum non emittant; cum professi etiam trium votorum illa faciant: nam (ut cap. præced. dixi) hi omnes substantialiter sunt in eodem gradu & munere, & alioqui isti etiam sunt membra perpetua Societatis, quæ oportet omnino cauere ab omni ambitione, & prætensione dignitatis extra & intra Societatem, ad quem finem dicta vota præcipue ordinantur.

Nihilominus dicendum est, non sine magna causa B. Ignatium ita hæc ordinasse, & instituisse, sufficientisque argumentum esse debet quòd Romani Pontifices expresse hanc instituti partem approbaverunt: Paulus enim III. in Bulla speciali de hoc gradu expresse declarat, hæc vota coadiutorum fieri cum illa conditione, ut obligent quandiu Societas huiusmodi personas retinendas in suo munere iudicauerit, & non ultra; nec propterea (inquirit) ad aliquam solennem professionem emittendam teneantur, neque ad eam aliter admittantur. Gregorius autem XIII. in constit. Ascendente Domino, expresse declarat hæc tria vota esse simplicia, & per ea constitui hominem in certo Societatis gradu, idque specialiter approbat, & confirmat. Ratio autem inter alias, quæ fundatorem mouit, fuisse videtur, quia religioni vtilissimum, & ipsis religiosi minimè nocuum iudicauit, ut quoad fieri commodè posset, religio retineret debitam potestatem dimittendi omnes, qui ad religionis finem, & modum non sese accommodarent; sic enim & ipsa religio in sua puritate melius conseruatur, & securius, ac vtilius potest proximis inservire, qui est scopus illius. Deinde commodius indicauit Ignatius, ut hi qui dimittendi sunt, liberi, quàm votis ligati, dimittantur, ut cum minori dispendio vtriusque partis fieri possit dimissio: graue enim est religioni extra se abicere eum, qui adhuc verè religiosus eiusdem religionis maneat. Ipsi etiam qui dimittitur graue onus est priuari religionis commodo, & iugum retinere. Ut ergo hæc dimissio suauis fieri possit, hoc medium tanquam commodius electum est. Itemque ut religiosi ipsi in maiori timore conseruarentur, semperque vigilantius viverent.

Non potuit autem hæc conditio generaliter, in omnibus membris Societatis obseruari: nam (ut Philosophi aiunt) omne mobile fundatur in aliquo immobili: quo certè principio ad vestigandum Deum vii sunt, decuitque in hac religione esse aliqua principalia membra, quæ essent veluti columna & fundamenta eius, in quibus ipsa religio, quasi immobilis esset: ideoque & ipsi indissolubili vinculo ligarentur, & ipsa religio se illis perfectè obligaret, nec votis liberos à se posset dimittere: Atque hi sunt soli professi quatuor votorum: extra illos vero, mens B. Ignatii fuit ut omnes alij dependentes semper essent à Societatis ordinata potestate. Hac ergo ratione voluit coadiutores spirituales in dicto gradu

V.

Altera dicitur, bi andira.

tit.

VI.

Vera ratio solennitatis.

Probatum auctoritate.

Probatum auctoritate, tam ab vtriusque emul. p. 61.

VII.

Dicta vtilitas, et ea habentur in omnibus membris Societatis.

Confirm.

gradu permanere, solumq; per modum dispensationis permittit aliquos eorum ad professionem trium votorum admitti, propter graues causas occurrentes, vt capite precedenti declarauimus, in quibus magis (suppositis dictis causis ac meritis) deuotioni eorum, qui admittuntur, quam generali rationi instituti attenditur.

VIII.
*Probatum
tandem ea-
dem resolu-
tio à caren-
tia omni
detrimenti
spiritualis.*

Neque ex hoc modo institutionis aliquod detrimentum his religiosis sequitur: nam (vt in l. 3. ca. 2. num. 2. dixi) apud Deum nullo merito priuantur, propter talem conditionem suorum votorum; imò crescunt quodammodo, quia liberalius se obligant, non expectantes ex parte religionis similem obligationem. Item, quantum in ipsis est, æquè se tradunt Deo & religioni in perpetuum, nec est vlù periculum de status perpetuitate & stabilitate, si ipsi velint debito modo se gerere; ergo nullo spiritali commodo priuatur ex eo quòd ad professionem solennem non admittantur: imò etiam inde iuuantur, quòd eo ipso monentur, vt fideles suæ religioni sint, suoque muneri, vt par est satisfaciant. Aliunde verò, vt conueniens ordo, in toto corpore religionis seruetur, expedit, vt vnusquisque gradum suum agnoscat, & sciat ad quod ministerium vocatus est, quia ergo hi nō sunt vt principales operarij, sed vt adiutores eorū; ideo oportuit diuerso modo vniri religioni, quasi dependentes à superiori gradu, & cum subordinatione ad illum, vt ita debitus ordo, sine quo Religionis vnitas stare non potest, conferuetur.

IX.
*Ad 1. argu-
in n. 4.*

Vnde ad primam rationem dubitandi in contrarium in n. 4. respondetur, non propterea hos religiosos non admitti ad professionem solennem, quia non sunt probatæ virtutis, vel quia non possint multa, & grauius ministeria in Societate obire; sed quia ad illorum perfectionem, & meritum satis est alio simplici modo Societati incorporari, & vt in suo gradu, & humilitate conferuentur, id melius est, cum ipsis, tum etiam religioni, vt exposuimus. Nec in exemplum adducendi sunt mores aliarum religionum, quia Spiritus sanctus est vnus, & multiplex, & diuersis religionib. diuersa tribuit instituta, iuxta varios fines earum. In alijs ergo religionibus in admittendis personis sufficientibus ad professionem, & religiosum statum, consideratur tantum aptitudo ad propriam perfectionem, & ad summum ad officium chori, vel ministeria diuini cultus, seu vitæ contemplatiuæ; in Societate autem inter principalia consideratur aptitudo ad ministeria erga proximos, & ideo etiam aliquis sibi bonus esse videatur, non statim ad solennē professionem admittitur. Et præterea in hac religione, propter periculum, quod in his ministerijs cum proximis esse potest, difficilius fit obligatio ex parte religionis, ita vt regulariter non fiat nisi ad eos, qui sunt veluti fundamenta, & præcipua religionis membra. Nec etiam timenda hinc est diuisio aut minor concordia animorum in hac religione, quoniam sicut in eodem corpore varia membra diuersa munera habent, & iuxta illa diuersam habent dispositionem, & vnionem cum toto, imò & diuersam seu heterogeneam animæ informationem; vt dicitur libro 1. de anima cap. 2. à num. 26. & nihilominus omnia inter se perfectè vniuntur ad vnum corpus constituendum. Et sicut in eodem mystico corpore Ecclesiæ varij sunt gradus, in ordine hierarchico, qui non solum non impediunt corporis vnitatem; sed maximè illam conferuant, vt in disp. 9. de fide sect. 5. differuimus; ita in hac religione, quæ hierarchiam Ecclesiasticam maximè imitatur, hæc varietas non impedit vnionem animorum, sed potius illam perficit: maximè quia fundata est in humilitate, & charitate: nam qui maiora Dei dona acceperunt; & ideo in superiori gradu constituti

sunt, alios non despiciunt, sed potius honorant; & vt commilitones, & cooperatores suos amant; & vt Dei ministros, ac seruos venerantur. Ipsi verò qui in coadiutorum gradum afciti sunt, suam etiam sortem amplexi, in vitæ candore, & humilitate Deo seruiunt, & alios, vt patres æstimant; neque in hac distributione graduum intercedere debet ambitio ex parte subditorum, nec personarum acceptio ex parte Prælatorum; quia in eis non consideratur honor, sed onus, & maius Dei obsequium & proximorum auxilium.

Ad secundam rationem dubitandi in num. 5. Ad 1. patebit solutio à fortiori in num. 13. Vbi differentias inter coadiutores, ac trium votorum profesos adducemus.

Dubium tertium, in quo hic gradus coadiutorum spirituum ab alijs, præsertim scholaribus, distinguitur.

Supereft dicendum de tertio dubio in quo explicanda est differentia inter hæc vota, & vota scholarium approbatorum. Supponimus autem differentiam hanc non posse esse substantialem, quia etiam inter vota simplicia, & solennia non intercedit: debet ergo esse moralis, nimirum quoad aliquos effectus, vel conditiones, ad statum vitæ pertinentes. Est autem per se valde consentaneum rationi, vt aliqua huiusmodi differentia constituta fuerit inter scholares, & coadiutores formatos, scholares enim, licet veri religiosi sint, vt libro 3. cap. 3. tractatum est, adhuc tamen sunt aliquo modo in via, & in probatione, qui status quoad id, quod habet vig. & probationis, non debet esse perpetuus, sed habere aliquem terminum, cum non sit propter se, sed propter talem terminum: ergo etiam in coadiutoribus requiritur aliquis status, qui sit veluti terminus & approbatio vltima religionis in suo ordine. Atque hæc est prima differentia inter gradum scholarium, & coadiutorum à Religione intentam: quomodo autem exerceatur, & in quo posita sit, explicandum supereft. Secundò ergo ex parte votorū, & effectuum eorum, est differentia in voto paupertatis, quod in Societate reddit coadiutores incapaces dominij, & inhabiles ad hæreditatem, quem effectum in scholaribus non habet: vt ungue autem constat ex Bullis Pontificiis num. 6. allatis, à quibus hic effectus maximè pendet. In voto autem castitatis nullam inuenio differentiam quoad effectus, quia vtrorumque votum obligat ad perfectam castitatem, & inhabilitat ad matrimonium contrahendum, licet neutrum dirimat præcedens matrimonium ratum. Idem serè est de voto obedientiæ, nisi quòd coadiutores dum illud votum emittunt, exprimunt specialiter curam circa puerorum educationem in doctrina Christiana, sicut profesi, sed iam supra libro 6. cap. 3. numero 9. diximus per hoc non addi specialem aliquam obligationem voti.

Tertiò ac præcipuè differunt in strictiore obligatione ex parte religionis. Si quis enim consideret, quæ hæcenus diximus, hæc vota ideo tantum non sunt solennia, quia non habent reciprocam obligationem, & perpetuitatem ex parte religionis, & in hoc cōueniunt vota scholarium, & coadiutorum. Diximus autem supra in nu. 3. non ita hoc esse intelligendum, vt ipsa religio nullo modo obligetur: sed vt non obligetur absolute, nec sine facultate retenta ad remittenda talia vota: obligatur tamen aliquo modo ad non dimittendum quacumque ex causa, ob quam scholaris iuste demitteretur, sed planè gratiore: itaq; vt rem magis explicemus, in hac

Causa suffi-
cienter ad
dimittendū
scholarem,
non tamen
coadiutorem
formatum.

In hac non dimittendi obligatione, ex parte religionis potest esse magis vel minus, & circa coadiutores formatos est longē maior, ideoq; eorum vota magis accedunt ad perfectionem votorum solennium. Et ex hac maiori obligatione provenit ut longē difficilius sit expellere coadiutorem à Societate, quā scholarē, nam ex pluribus causis potest hic expelli, interdum inuitus, interdum ex consensu illius & religionis. Coadiutor verò (ut sentio) non tam pluribus, sed ex earum grauioribus, quibusdam dimitti potest. Vnde in 2. part. constit. cap. 1. lit. A. maior dicitur esse in horum dimissione difficultas, & lit. C. reseruat generali. Vnde in 2. 3. & 4. Congregationibus generalibus, ubi de officio vicarij agitur, in hoc professis æquiparantur. In particulari autem non inuenio in Bullis vel constitutionibus declaratam hanc differentiam secundum magis & minus, sed arbitrio Generalis esse relictam, & ideo eam in particulari non definio, sed prudenti zelo, & arbitrio Prælati committendam censeo. Experientia tamen mihi compertum est, longē difficilius coadiutores dimitti, rariis enim hoc factum vidimus, illud verò sæpius. Oportet ergo, ut causa nō temporalis, sed spiritualis sit; positiuēq; religioni contraria, & non tantum negatiuē. In scholariibus enim sæpe corporalis infirmitas sufficit, maxime si ipsi id petant in coadiutoribus autem formatis, non esset talis causa admittenda, etiam ipsi petentibus. In scholari præterea satis erit, quod inutilis ad ministeria religionis videatur, pro ut hæc latius l. 3. c. 9. sunt expostita in coadiutore autem minime, nisi etiam perniciosus sit. In scholari etiā, non oportet semper expectare, ut incorrigibilis sit, sed satis est, quod difficilis naturæ se ostendat: in coadiutore omnis curatio præmittenda est, ita ut prius se incorrigibilem ostendat. Denique quia scholaris adhuc in probatione est, non emendari, aut non meliorem fieri, erit sufficiens causa dimittendi illi: in coadiutore autem minime, quia iam cū talibus imperfectioribus, v.g. admissus est, non ut probeatur, sed ut probatus, & ideo licet in eis maneat, expelli non potest. His ergo, & similibus modis differentia hæc intelligi potest.

XII.

Vnde fit quartū, ut etiam quo ad exteriorē solennitatem vota hæc coadiutorum formatum solennius fiant. Vnde 5. p. constit. cap. 4. §. 1. præcipiunt fieri publicē in Ecclesia, vel facello coram domesticis, & externis, & in manibus alicuius, qui illa admittat: quod non ita asseritur in votis scholarij; idque ad explicandam maiorem vnitatem cum Societate, maioremq; obligationem, quæ ex parte Societatis respectu coadiutorum interuenit. Alia præterea differentia assignari potest, quoad conditionem prærequisitam ex parte personarum ad huiusmodi vota: nam in coadiutoribus formatis regulariter postulat diuturnior experientia, & probatio, iuxta 5. part. constit. c. 2. §. 4. licet verò certum tempus ibi non limitetur, sicut de professis trium votorum factum fuerat in §. 3. In ordinationibus tamen generalium toti Societati communes, editi tum ann. 1606. pag. 225. in fine n. 5. tum etiam anno 1616. pag. 144. in fine, septennium specificatur, ad non differēdam super illis informationem. Item requiritur quod docti, vel sufficienti doctrina instructi. Exam. c. 1. §. 10. & c. 6. §. 1. ubi etiam postulat, ut sint sacerdotes. Denique hæc ratione coadiutores spirituales, ex scholaribus sunt, & omnes hæ differentię sequuntur ex prima; nam scholares adhuc sunt quodammodo in via; hi verò iam in termino sunt.

XIII.

Vnde etiam constat, in his etiam omnibus conuenire coadiutores formatos cum professis trium votorum, quanuis nonnullæ etiam differentię inter eos ex constitutionibus notari possint, præter

eam, quæ est in solennitate votorum. Primum enim in his professis determinatur tempus septennij ante quod admitti non possunt secundum constitutiones: de coadiutoribus verò non fit certa limitatio, sed arbitrio generalis relinquitur, quoad in ordinationibus expressum est, ut paulo ante notauimus. Ille enim modus professionis (ut cap. 1. num. 6. dixi) est per modum cuiusdam dispensationis, & ideo maior probatio ad illum requiritur, siquidem in eis anticipari septennium non potest, in coadiutoribus autem non potest differri, saltem quoad informationem. Secundò de coadiutoribus expressè dicitur in citato §. 1. ut sint sacerdotes, de his verò professis non ita expressè: tamen, ut supra in dicto cap. 1. num. 2. aduertimus, in examine comprehenduntur hi professi sub coadiutoribus spiritualibus quia cap. 1. §. 8. expressè fit mentio professorum tantum quatuor votorum, & in sequenti soli coadiutores adduntur; vnde videntur sub his comprehendendi professi trium votorum; ideoq; omnia, quæ in eodem examine pro coadiutoribus spiritualibus requiruntur, esse intelliguntur necessaria his professis: quorum vnum est sacerdotium. Vnde 5. p. constit. c. 2. litt. C. in his professis postulat ordinari, ut habeant sufficientiam in literis, quæ ad confessarij munus bene obeundum satis sit, nisi alijs Dei donis compensetur. Vnde videtur supponi debere esse sacerdotes, qui in munere audiendi confessiones possint exerceri. Atq; ita videtur quidem dicendum iure ordinario. Aliquando (ut supra notauimus lib. 6. cap. 1. num. 4.) admittuntur ad professionem trium votorum aliqui ante sacerdotiū, sed illud est extra constitutiones, ob peculiare casus occurrentes, qui in coadiutoribus spiritualibus locum non habent, & ideo nunquam in eis fit hæc dispensatio.

Tertia differentia assignari potest, quia coadiutores formati non emittunt alia quinque vota simplicia, quæ professi quatuor votorum faciunt; illa verò promittunt professi trium votorum, ut declaratum est in 4. Congregat. generali. decret. 39. vel Can. 10. Coadiutoribus enim non imponitur hoc onus, quia constitutiones solum à professis illa vota exigunt 6. p. cap. 2. §. 1. p. 10. §. 6. Et quia in eis locis absolute dicitur, *Quicumque in Societate professionem emisserint, vel omnes professi*, & non adhibet limitationem de professione quatuor votorum, ideo de omnibus generaliter intellectum hoc est. Quamuis enim interdum illa vox absolute prolata soleat sumi in constitutionibus, quasi principali significatione, ut patet 5. p. cap. 2. §. 2. notauimusque in libro præcedenti cap. 3. num. 3. tamen quia illa constitutio erat fauorabilis religioni, amplè interpretanda fuit. Item quia hi sunt verè, & simpliciter professi, & ideo comprehenduntur sub regula generaliter, ac indefinite obligante professos. Ratio autem huius differentię esse potuit, quia professi sunt magis immobiliter coniuncti Societati, & possunt facilius admitti in Congregationibus generalibus, & ideo oportuit ut haberet omnes obligationes, quas professi habent ad institutum Societatis in sua puritate conseruandum.

XIV.

C A P V T III.

De Coadiutoribus temporalibus Societatis.

I. Hic est vltimus gradus personarum Societatis, de quo pauca nobis super sunt dicenda; quia in votis cum proportionē sumptis non differunt ab alijs coadiutoribus spiritualibus: in ministeriis autem, & obligationibus eorum nulla serè specialis difficultas occurrit. Primum ergo supponendum

I. Esse in Societate gradum coadiutorum temporalium, quæ sunt huiusmodi ratione rationis.

dum est, præter eos, qui ad spiritualia ministeria peragenda in Societate recipiuntur, aliquos admitti, ut eorum actionibus occupentur, quæ ad corporis sustentationem, & alias externas, & corporales exercitationes necessariae sunt; & hos *Coadiutores temporales* vocamus, appellatione quidem satis religiosa, & accommodata. Coadiutores enim vocantur, tum, ut vel ipsa voce, quædam æqualitas, & modestia religiosa significetur; non enim ut famuli, aut seruitores æstimandi sunt, sed ut fratres, Socii, & adiutores nostri, sicut Martha Christo de sorore dicebat, *Dic ergo illi ut me adiuuet*, Luc. 10. Et Luc. 5. *Simon, & alij amiserunt socios, qui erant in alia navi, ut venirent, & adiuuarent eos*. Verbum ergo adiuuandi Societatis cuiusdam, & æqualitatis est, & ideo ab eo Coadiutores appellantur: tum etiam, ut significetur eos coadiuare in ipsomet opere, quod alij pertractant, hoc enim nomine appellantur in Scriptura, qui cooperabantur Apostolis in prædicatione Euangelij, ut supra cap. 1. num. 4. vidimus in Paulo ad Philipp. 2. & 4. & epist. ad Philem. sic ergo dicuntur in Societate *Coadiutores*, non solum, qui immediatè in ipsis spiritualibus ministeriis adiuuant; sed etiam qui mediatè parando ea, quæ ad talia ministeria necessaria sunt: sicut corpus dici potest animæ adiutor, etiam ad intelligendum, quia licet non simul cum anima intelligat, ministrat tamen ea, quæ ad intelligendum sunt necessaria, & animæ intelligenti suo modo cooperatur. Hac ergo ratione additur particula illa *temporales*, ut distinguantur ab spiritualibus, utriusque enim ad spiritualia adiuuantes, sed non eodem modo, nam sacerdotes adiuvant partem aliquam spiritualium ministeriorum præstando, ceteri verò temporalia peragendo, liberos illos relinquunt ad spirituales occupationes, & hoc modo etiam in eis illos adiuuant.

II.
Primum co-
vel. de neces-
sitate huius
gradus, &
sine causa 3

Atque hinc constat primò quæ fuerit necessitas huius gradus in Societate, tota enim ad hoc refertur, ut sacerdotes vel qui ad sacerdotium præparantur, liberi, & impensis possint in spiritualibus actionibus erga Deum, & seiplos, & in studiis, ac ministeriis erga proximos occupari. Tria enim præcipuè sunt, in quibus operarij Societatis à coadiutoribus temporalibus iuvantur. Primò in his, quæ ad corporis sustentationem necessaria sunt, in quibus omnia, quæ ad victum, vestitum, habitationem, & rerum temporalium negotiationem, ac procuracionem pertinent, comprehenduntur. Quamvis enim in his possint etiam sacerdotes, & coadiutores spirituales interdum occupari, id solum est dirigendo, & ordinando; ac præsidendo his, quæ graviora sunt; maioremque authoritatem in ministro requirit; executio autem sine coadiutorum temporalium auxilio fieri commodè non potest. Secundò iuvatur maximè Societas ab his fratribus in his, quæ ad cultum divinum pertinent, in sacellis, & Ecclesiis, sacrarum vestitum, & rerum omnium, quæ ad templorum ornatum, & sacrosanctæ Eucharistiæ decentissimam custodiam sacrificiique oblationem pertinent, diligentissimam curam gerendo. Tertiò adiuvant in ministeriis erga proximos, vel domi eos cum charitate recipientes, eorumque necessitatibus, quantum in ipsis est, subministrantes, & extra domos Socij operatorum existentes: nec enim decet, ut soli incedant, nec possunt sacerdotes sibi invicem comites, & socij esse: quia multum in ministeriis impedirentur.

III.
Huius gra-
dus exemplum
ex Act. 6.

Ob has ergo causas necessarius fuit in Societate hic personarum gradus. Cuius nonnullum exemplum possumus sumere ex Act. 6. ubi Apostoli dixerunt, *Non est æquum nos derelinquere verbum DEI, & ministrare mensis*: & ideo ordinarunt septem Diaconos, quibus ministerium illud committerent.

In quo exemplo non æqualitas in omnibus, sed proportio tantum attendenda est: illi enim ministri fuerunt Diaconi ordinati ad ministerium altaris, siue tunc statim cum electi fuerunt ad ministerium mensarum, siue aliquanto post: quod alibi præcipue non ordinantur per se primò ad temporale ministerium, sed ad spirituale, tam in sacrificio solenniter, & immediatè sacerdoti ministrando, quam in verbo Dei, & administratione aliquorum Sacramentorum, si necesse fuerit: secundario autem illis commissum est ministerium distribuendi communes elemosinas inter pauperes, & viduas, nostri autem coadiutores immediatè non assumuntur ad spirituale ministerium: & ideo nullam ordinationem requirunt. Proportio ergo solum consistit in hoc, quod sicut Apostoli, ut verbo Dei vacarent, à corporali ministerio etiam esset charitatis, & misericordiæ, abstinuerunt, assumendo aliquos, qui eos in illo opere iuvarent: ita Societas exonerat operarios, & scholares ab his ministeriis temporalibus propter altiora opera, & coadiutores sumit, quibus iuvetur: & sicut illi coadiutores Apostolorum ex clero assumpti sunt, ita hos nostros coadiutores religiosos esse, & ex eadem religione assumi decentissimum fuit.

Et hunc facile solvitur si quis obiiciat, olim in reformatis religionibus non fuisse in usu hanc divisionem officiorum inter religiosos, sed omnes fuisse solitos in his humilioribus, & corporalibus ministeriis successivè, seu vicissim per hebdomadas inferuire, ut constat ex Basilio de instit. Monach. serm. 1. circa finem, Porro (inquit) quæ necessarii in communem conventum tractanda ministeria sunt, ex mutatis in orbem vicibus circumaguntur, huiusque singulis hebdomadibus necessarium omnium hoc genere munus expletur, ut & humilitatis merces communis sit, neque cuiquam facultas ceteros superandi in rebus, etiam laudabilibus quælibet detur, & ut æqualiter à laboribus requiescere omnes possint, &c. Et hanc consuetudinem per cunctam Melopotamiam, Palæstinam, & Cappadociam, & totum Orientem servatum esse testatur Casianus lib. 4. de institutis renunc. cap. 19. singulis (inquit) hebdomadibus vicissim fratres ad hæc officia sibi reddenda succedunt, ita ut secundum Cænobij multitudinem, ministeriorum quoque numerus deputetur. Eandem servari præcipit S. Benedictus cap. 37. Reg. 2. in Regula.

Respondemus enim, imprimis diversum fuisse institutum antiquarum religionum, & nostræ; illæ enim erant religiones monachorum, qui tunc non ordinabantur sacerdotes, nisi rarissimè, ut sæpe dictum est, nec in spiritualibus alicuius ordinis ministeriis, aut studiis, sed in corporalibus laboribus, seu actionibus, versabantur: & ideo non indigebant aliis coadiutoribus, cum ipsi nullam haberent convenientem excusationem, quo minus per se possent, cum fraterna æqualitate, & distributione, hæc munera obire: in Societate autem fieri minimè poterat, propter studium, & ministeriorum spiritualium occupationem, ut dictum est. Quam exceptionem addit in sua Regula S. Benedictus, dicens excusari ab eis muneribus debere, qui in rebus maioris vilitatis occupari fuerint. Et Casian. supra cap. 22. refert apud Aegyptios, quibus (inquit) maxima cura est operis, non fuisse hebdomadarum vicissitudinem, ne sub occasione huius officij omnes ab operum canone impedirentur. Quam consuetudinem iam observant monachales ordines, quia iam licet incumbunt, & ordinantur sacerdotes: adeo, ut nomine monachorum regulariter illi tantum intelligantur, qui ad chorum sunt deputati, qui verò ad temporalia ministeria.

ministeria recipiuntur, conuersi vocantur c. non du-
bium, cap. ex tenore, cum similibus, de sentent. ex com-
mun. vel aliis etiam nominibus. Denique ne in So-
cietate, quoad fieri possit, desit egregiū charitatis,
& humilitatis illorum monachorum exemplum,
vlti receptum est, vt tam scholares, quam sacerdo-
tes, etiam superiores per hebdomadas tēpore cor-
poralis refectionis aliquid muneris in culina, ac
triclinio exerceant; & per annum præsertim feria-
rum tempore his humilitatis officiis exerceantur,
quod specialiter, ab antiquioribus sacerdotibus, &
qui aliis præfunt, obseruari ordinauit B. Ignatius 3.
p. constit. c. 1. §. 19.

VI.
2. Cor. de
nam perso-
narum bu-
ius gradus.

Secundò colligitur ex dictis, quæ mensura recipi
debeant in Societate coadiutores, & quæ dotes in
eis requirantur. Mensura enim esse debet necessitas
ministeriorum ad eos spectantium; tot enim recipi
debent, quot necessarii fuerint ad iuuandam Socie-
tatem in his, quæ diximus, & non plures. Ratio e-
nim, & mensura mediocrum ex fine sumenda est, &
ars non pluribus instrumentis utitur, quam ad suū
finem indigeat. Item quia alias multa sequuntur in-
commoda: nam vel Societas grauabitur pluribus
personis, quam alere possit, vel priuabitur aliis o-
perariis ad ministeria spiritualia necessariis, & præ-
terea ipsimet coadiutores otiosi magna ex parte e-
runt, si in superabundanti numero recipiantur: de-
bent ergo recipi in mensura subleuandis oneribus
domorum, & Collegiorum Societatis accommoda-
ta; & ita statuitur p. constit. c. 2. §. 1. lit. A. 3. p. c.
2. §. 7. p. c. 3. §. 2. & Regula 39. Prouinc. Exempla nu-
meri coadiutorum habes in formula acceptandi
Collegia.

VII.
De qualita-
tibus eius-
dem gradus.

Atque his locis etiam designantur conditiones,
& partes, quæ in huiusmodi personis desiderantur,
quæ omnes eo tendunt, vt ad finem intentum, pro-
ut ratio prudentiæ requirit, sint accommodati: i-
taque ex parte corporis requiruntur vires, sanitas,
&c. sustinendis laboribus sufficientes: ex parte ve-
ro animæ aptos ad deuotionem, & virtutem, & ad
eam propensos, & bonæ, ac facilis naturæ, quoad
fieri possit, & præsertim, quod sorte Marthæ con-
tenti sint. Vnde licet in eis iudicii capacitas, & ars
aliqua, vel sufficiens ad illam ingenium desiderari
possit; literæ autem vllæ non postulantur, nec eis
conceditur, vt in Societate plus literarum addi-
cant, quam ante ingressum in illam sciebant, ita in
Examine c. 6. §. 6. Imò si legere, & scribere antea ne-
sciebant, sine facultate generalis id addicere non
possunt, vt in regula 14. ex communibus dicitur.
Habeturque similis inter Regulas S. Francisci c. 10.
vbi de suis fratribus, ait: Non curent literas discere, qui
literas nesciunt. Vbi generaliter quidem de suis fratri-
bus loqui videtur, mens autem eius fuisse videtur,
vt qui omnino sine literis ingrediuntur, quia nō ad
literarum munera recipiuntur, de literis nō curēt,
sed in qua vocatione vocati sunt permaneant, iux-
ta Apostoli consilium 1. Corinth. 7. Atque ita Cor-
dub. ibid. quæst. 7. Bonauent. in expositione Regu-
læ c. 10. & alij.

VIII.
3. Cor. De
perfectione
requisita ad
hunc gradū
ex parte vo-
torum.

Tertiò inferitur ex dictis, quàm sit perfectus hic
gradus Societatis in ratione religiosi status, quod
cōsiderari potest, vel ex parte votorum, vel ex par-
te finis, & actionum, ad quas ordinatur. Et in primis
in votorum vinculo non differunt, formaliter lo-
quēdo, vt sic dicam, ab scholaribus approbatis, vel
à coadiutoribus spiritualibus formatis, secundum
tempora diuersa. Bis enim vota Societatis emittūt,
& in eam incorporantur. Primò post biennium per
vota simplicia eiusdem omnino rationis cum vo-
tis scholarium approbatorum admittuntur. Vnde
elici tunc possunt coadiutores approbati. In eisque
nōnitijs per biennium, & cum eisdem spirituali-
bus exercitiis & experimentis, sicut in ceteris om-
nia no. Suar. de statu relig. Tom. IV.

nibus postulatur. Post diuturniora verd experi-
menta (quæ saltem per decennium iuxta consue-
tudinem Societatis durant, quamvis in rigore le-
gis nullum certum tempus habeant præter arbi-
trium prudens superioris iuxta quod in formula
data à P. Claudio Aquaiua, decennium circiter in
Societate, & annus ætatis 30. determinatur) incor-
porantur intimis Societati per vota coadiutorum
formatorum, vt habetur in Examin. cap. 6. §. 7. 2. p.
constitut. cap. 1. quæ omnino eiusdem rationis sunt
cum votis coadiutorum spiritualium; & ideo nihil
aliud de illis dicendum superest, quoad eorum ma-
teriam, vel obligationem. Ad professionem autem
solennem non admittuntur hi religiosi eiusdem
rationibus, quibus ne coadiutores spirituales, vt
cap. præced. in puncto 2. vidimus, quæ in his à for-
tiori locum habent. Præsertim, quia illi non effi-
ciuntur clerici: hæc autem religio propria clericor-
um est, vt diximus lib. 1. cap. 5. Sufficit ergo illis in
sancta humilitate Deo consecrari, nam quantum
est ex parte illorum nihil diminuitur de merito apud
Deum; eo quod solennia vota non emittant;
& si religiose viuunt, tam indissolubilem habent
cum religione vnionem, ac si solennem professio-
nem emisissent, suntque verè, substantialiter, ac
perfecti religiosi, vt Gregor. XIII. declarauit. Ni-
hil ergo in hac parte relinquitur, quod deside-
rent.

Ex parte autem finis, & actionum; ad quas eo-
rum status ordinatur, habent sine dubio gradū ad
magnam perfectionem acquirendam aptissimum,
& (in quo alios quodammodo superant) securissi-
mum. Nam in primis participant totam illam par-
tem vitæ contemplatiuæ, quam Societas in omni-
bus suis membris proficitur. Debent enim esse de-
diti exercitiis spiritualibus, & mentalibus, & suis
temporibus orationi, examini conscientiæ, lectio-
ni spirituali, & meditationi deputatis, vacare. Et
quamvis sacrum non faciant, nec officium Cano-
nicum recitent, audire tamen Missam quotidie de-
bent; imò & Rosarium Virginis, vel etiam eius offi-
cium, licet non ex regula, ex pia tamen consuetudi-
ne recitare, prout lib. seq. cap. 2. numer. 2. expone-
mus. Præter hæc verd (quod Basil. regul. 37. ex fu-
sioribus valde commendat) cum actiones eorum
externæ sint, & corporales, non multum animum
distrahunt, quo minus possint frequenter circa
Deum versari; vel eum præsentem in suis laboribus
habendo, vt idem Basil. in 5. earundem regularum
& c. 7. constit. monast. hortatur: vel in eum omnia,
quæ agunt referendo, & auxilium postulando. Ita-
que magnam possunt perfectionem vitæ contem-
platiuæ in hoc statu comparare. Vnde etiam fit, vt
perfectionem antiquorum monachorum multum
imitentur: illi enim, & clerici non erant, & post
laudes suis temporibus Deo decantatas, manibus
laborabant, vt se vel alios pauperes sustentarent;
hi verd, & sua etiam tempora, quibus Deo mente
psallant, & ore deprecantur, habent; & postea ma-
nibus laborant, non vt aliquid temporale compa-
rent, quo se, vel alios sustentent, sed vt ministros E-
uangelij adiuuent, eisque ministrent. Ex quo vlti-
rius sequitur, vt partem Marthæ, non solum corpo-
raliter, sed etiam spiritualiter participant. Nam li-
cet proximè circa corporalia occupentur, tamen
quia illa sunt media ad proximos spiritualiter iu-
uandos, & sub ea intentione assumuntur, ideo fru-
ctum & meritum spiritualium actionum circa pro-
ximos participant. Præterquam quod ipsi debent
ad salutem proximorum suo modo cooperari tum
familiaribus colloquiis, vt in c. 6. examinis §. 4. ha-
betur, tum maxime exemplo, & præsertim patien-
tia, & charitate omnes alacri animo suscipiendo,
eorumque necessitatibus summa diligentia succur-
rendo

IX.

Itaque ex par-
te finis per-
fectionis, sic multis
modis ostenditur.

D d d

rendo

rendo, & si necessarium fuerit omnium onera portando, & sustinendo. Tandem hinc etiam merito consequuntur, ut omnium bonorum operum, ac meritum Societatis participes sint, & illius gratias non minus, quam ceteri professi perfruantur, ut habetur in Bullis Pauli III. Iulij III. & Greg. XIII.

CAPVT IV.

Quot sint gradus personarum in Societate, & quomodo inter se distinguantur, ex dictis colligitur.

I.
Tres tantum esse gradus personarum in Societate.

Collectio horum trium graduum ex votis, quae nuncupantur.

EX dictis in hoc & superioribus libris circa varios gradus personarum Societatis, facile colligi potest quot illi sint, & quae inter illos distinctio intercedat. Potest autem haec distinctio membrorum Societatis dupliciter fieri, scilicet vel iuxta diuersa vincula cum ipsa Societate per vota aliquo modo diuersa, vel per ministeria, ad quae proximè talis personarum status ordinatur; & utroque modo tres tantum sunt ordines personarum: priori modo distinguuntur in Societate *scholares* approbati, formati, coadiutores, & *professi*: nam hi omnes habent inter se differentiam in modo votorum, ac vinculi cum Societate, ut satis explicatum est lib. 3. 6. & in hoc 7. nec oportet augere hanc partitionem propter coadiutores temporales, vel spirituales, quia illi omnes, quoad vota eandem rationem habent, vel inter se cum formati sunt, vel cum scholaribus, quando simpliciter post biennium admittuntur. Et ita quoad hoc aequiparatur in 4. Congreg. can. 1. & suo etiam modo in 7. Congreg. can. 23. Vnde clarius comprehendendo omnes *scholarium* nomine sublato, dicere possumus in Societate alios esse religiosos approbatos, alios *formatos*, alios *professos*, vel quosdam esse religiosos quidem substantialiter, nondum tamen in ultimo termino constitutos: alios verò qui iam sunt in termino absque solenni professione, alios verò *professos*. Et eadem ratione non oportet ibi distinguere plura membra propter *professos* trium, vel quatuor votorum, tum quia *professi* trium votorum & pauci sunt, & magis ex dispensatione, quam ex lege ordinaria, tum etiam, quia in modo vinculi, aut votorum, non differunt à ceteris *professis*, sed solum in numero votorum, & ideo aliquando comprehenduntur sub gradu *professorum*, ut s. p. constit. c. 1. lit. A.

II.
Altera collectio ex ministeriis.

At verò distinguendo hos gradus ex ministeriis, tres etiam inveniuntur, diuerso tamen modo: scilicet enim numerandi sunt *scholares*, *operarii*, & *coadiutores*

temporales. Ministeria enim Societatis, aut spiritualia sunt, aut corporalia: ad haec posteriora recipiuntur coadiutores temporales. Priora verò, aut considerantur in seipsis, aut in via, & preparatione ad illa: in hoc secundo ordine versantur *scholares*, in alio verò reliqui omnes, qui iam ex officio, & statu suo ad illa exercenda ministeria destinati sunt, quos *operarios* appellamus, & sub illis tam coadiutores spirituales *formatos*, quam *professos* trium, vel quatuor votorum comprehendimus. Et ita intelliguntur facile omnia, quae de his gradibus, tam in bullis Pontificiis, quam in constitutionibus nostris inveniuntur.

Et quidem in examine cap. 1. §. 7. & sequentibus, quatuor classes personarum Societatem ingredientium, distinguuntur; tamen reuera non additur aliquis gradus, sed ibi magis distinguuntur intentio, vel dispositio ingredientium. Nam interdum recipiuntur definitè, ad aliquem ex dictis tribus gradibus, & ita distinguuntur tres classes ingredientium, aliquando verò recipiuntur indefinitè ad eum gradum, qui superiori visus fuerit. Et ita additur quarta classis, quae vocatur *indifferentium*, quae non pertinet ad gradus personarum Societatis, sed ad classem *novitiorum*, ut sic dicam: nam in eis solis potest esse classificatio indifferentium, quia expleto biennio determinandi sunt omnes saltem ad statum *scholarium*, vel *coadiutorum* temporalium, ut in quarta congregatione generali decreto 37. seu can. 2. declaratum est: ubi considerandum est etiam hoc modo regulariter loquendo non posse distinguere nisi duas, vel tres classes: quia *novitij*, vel ad temporalia ministeria, vel ad spiritualia recipiuntur: pauci autem recipiuntur ex parte Societatis indeterminati inter haec duo membra, licet ex parte sua omnes debeant indifferentes ingredi: aliquando verò possunt aliqui recipi cum ea indifferentia; & ita constituntur tres ordines *novitiorum*. Inter quos qui recipiuntur ad spiritualia ministeria, consequenter adiunguntur definitè ad gradum *scholarium*, indefinitè verò ad gradum *professorum*, vel *coadiutorum*: raro enim potest à principio fieri haec distinctio, donec in studiis personae probentur. Aliquando verò cum personae sunt prouectae aetatis, aut literatae, possunt à principio cum recipiuntur, ad gradum *professorum*, vel *coadiutorum* destinari; & ita intelligenda est illa partitio: & ad eandem doctrinam facile accommodantur, quae de quatuor acceptionibus Societatis dicuntur s. p. constit. c. 1. lit. A. Nam in prima comprehenduntur *novitij*, & ita solum tres gradus membrorum propriè dictorum Societatis relinquuntur.

